

tionem manuum, in ipsa traditione calicis, imprimi characterem Sacerdotalem.

Tertio, Neomyia, seu Sacerdotes recenter ordinati antequam manus illis imponantur, cum illis verbis: Accipe Spiritum Sanctum &c. simul cum Episcopo proferunt verba consecrationis: Sed hoc non permitteretur, nisi iam haberent potestatem ad consecrandum corpus & sanguinem Christi, subindeque characterem Sacerdotalem, qui nihil aliud est quam talis potestas: Ergo ante impositionem manuum, Sacerdotes recenter Ordinati habent characterem Sacerdotalem.

Quarto: Cum aliquis Ordo habet plura officia, tunc conlertur character, quando datur potestas exercendi officium magis precipuum, ut patet in Ordinibus Olliarrii, Acolyti, & Subdiaconi: Sed ex duobus officiis, quae habet Sacerdos, nimirum offerre sacrificium, seu Eucharistiam consecrere, & remittere peccata, istud est minus principale & secundarium: Ergo character Sacerdotalis non imprimitur, quando Episcopus imponendo manus, dat potestatem remittendi peccata, sed quando porrigendo calicem, dat potestatem offerendi sacrificium.

Quinto: Jadas, tametsi solum offerendi sacrificii potestatem in nocte coene cum aliis Apostolis receperit, characterem Sacerdotalem habuit; tuit enim vero Sacerdos novi Testamenti, ut ex verbis illis Psal. 108. quae S. Petrus Act. 1. ad illum pertinere indicat; colligitur: Episcopatum ejus accipias alter; hoc est Sacerdotium. Itepsalus. ut Chrysolomus in eum locum hon. 3. commentatur: Ergo character Sacerdotalis imprimitur ante impositionem manuum, cum datur potestas offerendi sacrificium.

48. Secunda pars conclusionis, quae asserit impositionem manuum non esse de essentia Ordinationis Diaconorum, probatur primo ex Florentino in Decreto Eugeni, ubi post verba supra relata, Presbyteratus traditur per calicem cum vino & pane, cum pane possessionem, statim subdit: Diaconatus per libri Evangeliorum traditionem, nullam proferat mentionem faciendo de manuum impositione: At si Concilium existimasset impositionem manuum esse materiam saltem partialem Diaconatus, non debuisset illam subijcere: Ergo impositio manuum non est de essentia Ordinationis Diaconorum.

49. Continuat: Gregorius IX. in cap. Presbyter, de Sacramentis non iterandis, sic ait: Presbyter & Diaconus, cum ordinatione, manus impositionem corporali ritu ab Apostolis inchoato recipiunt. Quod si omisum fuerit, non aliquatenus iterandum, sed facturo tempore, ad ejusmodi Ordines consecrandos caute supplicandum quod per errorem excipitur praesertim: At haec doctrina de non iteratione hujus Sacramenti in tali casu esset falsa, si non in sola traditione libri Evangeliorum, cum sua formula, consisteret essentia Ordinationis Diaconi: Ergo &c.

50. Probatur secundo eadem pars hac ratione: Ille tantum ritus est de essentia Ordinationis Diaconi, per quem ministerium ipsi peculiare significatur: Sed per manus impositionem, & verba illi correspondentia, nullum ministerium Diacono peculiare significatur: non quidem per manuum impositionem, ut constat; neque per verba illa ipsi correspondentia, Accipe Spiritum Sanctum, &c. robur ad resistendum diabolo & tentationibus ejus, utpote quae sunt generalia, & cuilibet Ordinationi possent convenire: Ergo impositio manuum sub praescripta forma verborum, non est de essentia Ordinationis Diaconi.

51. Dico secundo, Impositionem manuum non esse caeremobiam aliquam omnino accidentalem Ordinationi Sacerdotali, sed ad ejus integritatem pertinere.

Probatur breviter: Possit a peccatis absolvere pertinet ad integritatem Sacerdotii: Sed per impositionem manuum, quae fit ab Episcopo in fine Missae, haec verba proferente: Accipe Spiritum Sanctum, quorum remissionem peccatorum, remittuntur ei: Sacerdos accipit potestatem remittendi peccata, cum talis potestas per haec verba significatur: Ergo talis impositio manuum pertinet ad integritatem Ordinationis Sacerdotalis. Minor patet, Major etiam certa videtur; Sacerdotium enim ex diversis constitit officiis, sicut corpus integratur ex pluribus membris, videlicet ex officio sacrificandi, & ex officio absolvendi a peccatis; quorum primum est praecipuum, subindeque cum datur potestas illud exercendi, character Sacerdotalis imprimitur, ut praecedenti conclusione ostensum est; secundum vero est minus principale: unde cum datur Sacerdoti potestas absolvendi a peccatis, non imprimitur character, sed tantum datur augmentum gratiae ad rite exercendum tale munus; hoc enim denotant verba illa Episcopi, Accipe Spiritum Sanctum; neque enim Spiritus Sanctus datur sine infusione gratiae. Unde Tridentinum sess. 23. can. 3. sic ait: Si quis dixerit per hanc Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac praeinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum Sanctum, anathema sit: Ergo impositio manuum est de integritate Ordinationis Sacerdotalis, eo modo quo satisfactio est pars integralis Sacramenti Penitentiae.

Ex hoc intelligit, quod si alicui ex Neomyis, seu Sacerdotibus recenter ordinatis, Episcopus non imponeret manus, ille quidem esset verus Sacerdos, cum posset offerre sacrificium Missae, & Eucharistiam consecrere; non esset tamen perfectus Sacerdos, quia deesse illi aliquid complementum ad integritatem Sacerdotii novae legis requiritur, nimirum potestas absolvendi a peccatis.

S. II.

Solentur Objectiones.

Objicies primo contra primam conclusionem: In Scriptura, Conciliis, & Sanctis Patribus, Sacerdotium, & Diaconatus conferri dicuntur per manuum impositionem: Ergo illa est de essentia utriusque Ordinationis. Consequenter videtur legitima. Antecedens vero patet ex Apostolo 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1. ubi Timotheus dicitur ordinatus in Sacerdotem, vel Episcopum, per impositionem manuum. Item Actuum 6. septem primi Diaconi ordinati dicuntur ab Apostolis per manuum impositionem: Huius (ait sacer textus) statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus. Similiter Concilium Nicenum can. 9. imponere manus, idem esse indicit, quod Presbyteros ordinare; & Concilium Carthagenie 4. cap. 3. sic ait: Presbyter cum ordinatur, Episcopo cum benedictione, manuum super caput ejus tenente &c. Dionysius etiam cap. 5. Ecclesiasticae Hierarchiae expresse docet, Episcopum, Sacerdotem, & Diaconum consecrari per manus impositionem. Idem docent frequentes alii SS. Patres, unde Graeci Ordinationem vocant χειρουργία, id est manuum impositionem.

Confirmatur: Nisi manus impositio fit de essentia Ordinationis Sacerdotum, & Diaconorum, nullo Scripturae vel Patrum testimonio probari poterit contra Haereticos talem Ordinationem esse Sacramentum, quia Scriptura & SS. Patres, qui asserunt per talem ordinationem conferri gratiam, ut dicunt eam conferri per manuum impositionem, ut patet ex illo Ambrosii de dignitate Sacerdotali cap. 5. Homo manuum impositus, &c. Deus largitur gratiam.

Confirmatur amplius ex Tridentino sess. 14. cap. 3. ubi loquens de Extrema-Untione dicitur: ejus ministerium esse Episcopum, vel Presbyterum, rite ordinatum per manus impositionem: Sed fallum esset, Sacerdotem rite ordinari per manus impositionem, si ritus ille non esset essentialis tali Ordinationi: Ergo &c.

Ad objectionem respondeo, Scripturam, Concilia, & Sanctos Patres locis citatis loqui de Sacerdotio, & Diaconatu, collato tempore Apostolorum; tunc enim per solam manuum impositionem consecrabantur, ut supra infra declarabimus. Vel Ordinationes illas impositionem manuum appellat, eo quod talis caeremonia ad integritatem, & complementum istarum spectet, ut conclusio secunda ostendimus.

Ad primam confirmationem, nego Antecedens. Quamvis enim Scriptura, & Sancti Patres, qui asserunt Ordinationem conferre gratiam, dicant eam conferri per manuum impositionem; quia tamen traditio instrumentorum, cum forma verborum ipsi correspondentem, quo modo fit in Ecclesia Romana, quando Ordo confertur, est ritus non formaliter, sed materialiter tantum diversus ab impositione manuum, quae tempore Apostolorum fieri solebat, ut contabit ex infra dicendis, non minus efficaciter concludit contra Sectarios, Ordinationem, quae fit modo in Ecclesia Romana, esse verum Sacramentum, quam eam quae fiebat tempore Apostolorum, & initio nascentis Ecclesiae.

Ad secundam respondeo, Tridentinum loco citato tantum definire, ministerium Extrema-Untionis esse solum Sacerdotem; obiter vero dixisse illum debere esse ordinatum per manuum impositionem; neque ad hoc verificandum opus esse, quod manuum impositio fit de essentia Ordinationis Sacerdotalis, sed sufficere quod fit de integritate illius; unde concessa Majori, neganda est Minor. Si vero queras, cur Concilium ibi primus mentionem fecerit impositionis manuum, quam profectionis instrumentorum? Respondeo breviter, hoc ideo dixisse Concilium, quia Extrema-Untionis, cujus occasione illud asserit, ministratio ad eam potestatem pertinet, quae in manuum impositione confertur, quasi appendix quaedam remissionis peccatorum, ut in Tractu de Extrema-Untione declaravimus; ibi enim offendimus, Sacramentum Extrema-Untionis esse Sacramentum penitentiae completivum, quia sicut istud peccata, ita illud peccatorum reliquias abstergit.

Objicies secundo: Illud quod est sensibile, & causativum gratiae, pertinet essentialiter ad rationem Sacramenti: Sed manuum impositio in Ordinatione Sacerdotum, & Diaconorum, est signum sensibile, & effectivum

vum alicujus gratiae, ut docet D. Thomas hic qu. 37. art. 5. in corp. ubi sic ait: Per manuum impositionem datur plenitudo gratiae; per quam (ministri) ad magna officia sui idonei, & ideo soli Diaconibus & Sacerdotibus manus impositio, quia eis comparit dispensatio Sacramentorum &c. Ergo manuum impositio in Ordinatione Sacerdotum & Diaconorum pertinet essentialiter ad rationem Sacramenti.

Respondeo Majorem non esse universaliter veram, satisfactio enim in Sacramento non est, ut aliquid sensibile, & causativum alicujus gratiae; & tamen non est de essentia, sed tantum de integritate illius Sacramenti. Idem dicendum de impositione manuum, quae fit in Ordinatione Sacerdotum; quamvis enim illa sit aliquid signum sensibile, causativum augmenti gratiae, non sequitur quod sit pars essentialis talis ordinationis, sed sufficit quod fit de ejus integritate, non enim in impositione manuum abundantur gratia causatur, ex eo quod tunc fiat novum Sacramentum, ex parte materiae, sed quia praecedens completur complemento integrali; eo quod character Sacerdotalis tunc accipit novam perfectionem realem, ratione cujus potest ligare, & absolvere, quod ut rite a Sacerdotibus fiat, specialis gratia requiritur.

Objicies tertio: Si sola instrumentorum traditio, cum forma verborum ipsi correspondente, constitueret totam essentiam Ordinationis Sacerdotum, & Diaconorum, sequeretur quod in Ecclesia Graeca non fervarent ea quae sunt essentialia Sacramento Ordinis, ex parte materiae, & forma: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Minor est certa, quia certum est validas esse Graecorum ordinationes. Primo quia sunt non solum a Schismaticis, sed etiam ab illis qui ad unionem cum Ecclesia Romana accesserunt; idque etiam Romae in propria Ecclesia, sciente, & tacite saltem approbate Summo Pontifice. Secundo, quia ordinati a Graecis non reordinantur a Latina Ecclesia, quando a Schismate recedunt, & ad eam convertuntur. Tertia, quia in Concilio Florentino coacto ex Graeca, & Latina Ecclesia, Latini hac de re nullum dubium Graecis moverunt; sed illos pro veris Episcopis, & Sacerdotibus habuerunt; e quibus etiam Basilianus, Nicenus Episcopus, in Cardinali Sanctae Romanae Ecclesiae ab Eugenio promotus fuit. Quarto, quia durum videtur dicere, tam illustrem portionem gregis Christi, carere & caruisse vero Sacerdotum, & Basilium, Gregorium, Athanasium, Chrysolomum, &c. non Episcopos, sed Apostolos extitisse. Demum, quia expresse asseritur in capite Quod translationem, extra, de temporibus ordinandorum, Graecorum ordinationes esse validas. Probatur ergo sequela Majoris. In Ecclesia Graeca cum ordinatur Sacerdos, Episcopus non porrigit illi calicem cum patena, nec proferit verba illa quae a Latinis Episcopis proferri solent: Accipe potestatem offerendi sacrificium; sed tantum manus imponit cum pallio, proferendo ista verba: Divina gratia, quae semper inferna sanat; & quae de seorsum supplet, promoveat N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat super ipsum gratia sanctissimi Spiritus. Similiter Diaconus in Ecclesia Graeca non ordinatur, sicut in Latina, per traditionem libri Evangeliorum, cum prolatione horum verborum, Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei; sed per solam manuum impositionem & haec verba: Divina gratia, quae semper inferna curat, & imperfecta perficit, promoveat N. reverendum Subdiaconum in Diaconum. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super ipsum gratia sanctissimi Spiritus. Ita refert Arcadius Auctor Graecus lib. 6. de Sacram. cap. 2. & Cardinalis Delugo disp. 2. de Sacram. in genere sess. 5. testatur se vidisse Roma Graecos Episcopos hoc ritu Ordines conferentes: Ergo si sola instrumentorum traditio, cum forma verborum ipsi correspondente, constitueret totam essentiam ordinationis Sacerdotum & Diaconorum, sequeretur quod in Ecclesia Graeca non fervarentur ea quae sunt essentialia Sacramento Ordinis, ex parte materiae & formae.

Huic difficillime objectioni respondeo, negando sequelam Majoris; licet enim in Ecclesia Graeca Sacerdotium, & Diaconatum per solam impositionem manuum cum verbis relatis conferantur, non sequitur tamen quod in Ecclesia Graeca non ferventur ea quae sunt essentialia Sacramento Ordinis, ex parte materiae, & formae; quia nimirum Christus non determinavit in specie materiam, & formam hujus Sacramenti, sed genericè tantum instituit, ut loco materiae adhiberetur signum aliquid sensibile, significativum potestatis, quae traditur; & loco formae adhiberetur verba eandem potestatem sufficienter exprimentia. Hoc autem reperitur in utraque Ecclesia Latina, & Graeca, unde utraque servat omnia essentialia a Christo instituta; quamvis determinatio signi sensibilis, & materialis praedictam potestatem significantis, diversa sit apud Graecos, & Latinos: immo & in ipsa Ecclesia Latina, per diversis temporibus: nam tempore Apostolorum, & initio Eccle-

siae, determinatio illius signi sensibilis, & materialis, ad manus impositionem facta est ab Apostolis, ut indicat Gregorius IX. cap. Presbyter de Sacramentis non iterandis: ubi expresse asserit, manus impositionem quae Sacerdotes ordinantur, esse ritum introductum ab Apostolis, patetque eos sic ordinasse Diaconos Act. 6. & Presbyteros Act. 14. & 1. ad Timoth. 1. quem ritum Graeca Ecclesia huc usque servavit: Latina vero Ecclesia, ad majorem expressionem potestatis per Ordinem collata, tale signum sensibile ad porrectionem instrumentorum cum praescripta forma verborum determinavit. Quare utraque Ecclesia servat essentialia Sacramenti, & tantum differit penes accidentalem determinationem signi sensibilis, & verborum. Hanc solutionem & doctrinam tradit Bellarminus cap. 9. de Sacram. Ordinibus, ubi sic ait: Creditibile autem est, Dominum instituisse istas omnes materias Ordinum: non quidem in particulari, sed generaliter; movendo Apostolos, ut Ordines conferrent per caeremoniam instrumentorum, quibus significaretur eorum potestas.

Potest hae solutio illustrari & explicari exemplo de sumpto ex Sacramento Matrimonii: Christus enim Matrimonium materiam, & formam instituit, consensum contrahentium, externis verbis, aliisve signis expressum: haec autem signa non determinavit in particulari, sed reliquit ea communi usui & voluntati contrahentium. Unde sicut talia signa in Sacramento Matrimonii sunt quidem determinata a Christo, secundum rationem suam formalem, sive significationem, quatenus voluit determinate esse talia, quae rem certam determinate significarent; indeterminata tamen secundum esse materiale; ita instituit materiam Ordinis, secundum rationem formalem determinatam, quae scilicet determinate significaretur hic, & nunc ordinato tribui certam potestatem Ecclesiasticam; indeterminatam tamen secundum esse materiale, quatenus reliquit in potestate Ecclesiae, per traditionem hujus vel illius rei, hujus potestatis collationem significare. Sicut tamen non est in cujusque potestate, per quodvis verbum quidvis significare, sed hoc pendet a communi usu; ita non est in potestate alicujus particularis Episcopi, per cuiusvis rei traditionem, praedicta potestatis collationem significare; sed hoc pendet a determinatione Ecclesiae, quae instituit ut hoc fiat in Sacerdotio per traditionem calicis cum vino, & patena cum pane, & in Diaconatu per traditionem libri Evangeliorum, & verbis eis respondentibus, & sic de ceteris Ordinibus.

Ex his intelligit, Sacerdotium, vel Diaconatum collatum tempore Apostolorum, vel quod modo confertur in Ecclesia Graeca, non esse specie distinctum a nostro, sed tantum accidentaliter; quia licet habeant diversas materias, & formas; illa tamen diversitas non est formalis, sed tantum materialis, eo quod ordinatur ad eundem effectum significandum, & causandum, & unitas, vel diversitas specifica signi, ex unitate, vel diversitate specifica rei significatae sumatur. Idem cum proportione dicendum est de Sacramento Confirmationis, quod per solam manuum impositionem ab Apostolis interduum consecrabatur; vel de eo quod modo a Graecis sub hac verborum forma confertur: signaculum domi spiritus sancti. Illud enim, eo eandem rationem, non differt specie a nostro, cujus materia est christina ab Episcopo coactum, & forma haec verba quae ab eo proferuntur: Consigno te signo crucis, & confirmo te christiana signatis, &c.

DISPUTATIO III.

De ministro, & subiecto Sacramenti Ordinis.

Licet istud Sacramentum respiciat non tantum suum ministerium, & subiectum, sed etiam proprium effectum, qui est duplex, gratia nimirum sanctificans, cum jure ad specialia auxilia necessaria ad digne operandum actus proprios Ordinis suscepti, & character, sive potestas spiritualis ad faciendum illos actus valide & ex officio; quia tamen de hoc duplici effectu fuse egimus in Tractu de Sacramentis in communi disp. 3. & 4. de ministro tantum & subiecto hujus Sacramenti nobis restat disputandum. Unde fit

ARTICULUS UNICUS.

Qui sit minister Sacramenti Ordinis?

Certum & indubitatum est apud omnes Catholicos, solum Episcopum esse ordinarium ministerium Sacramenti Ordinis, tam quia hoc aperte definiunt Florentinum in litteris Eugenii, & Trid. sess. 23. can. 7. ubi dicitur Episcopus esse Presbyteris superiores, & habere

habere potestatem confirmandi & ordinandi, que non est illis communis cum Presbyteris. Tum etiam quia in Scriptura multoties dicitur quod Episcopi ordinant, videlicet Act. 14. ad Titum 1. & ad Timoth. 1. nusquam vero quod alii Sacerdotes conferant hoc Sacramentum.

Ratio etiam suffragatur, nam solus Episcopus est Christiana reipublica prefectus & hierarcha, sive Sacramentorum princeps: Sed ad solum principem & prefatum pertinet officia, & ministeria conferre & distribuere; Ergo &c. Item solus Episcopus est minister ordinarius consecrationis vasaforum, & collationis Sacramenti Confirmationis: At nobilitate modo (inquit D. Thom. hic quest. 38. art. 2.) applicatur minister ad cultum divinum per Ordinem, quam vasa sacra; & Sacramentum Ordinis est quod excellentius, quam Sacramentum Confirmationis: Ergo ordinarius minister Ordinis non est alius quam Episcopus.

In hoc, ut dixi, conveniant omnes Catholici, sed difficultas est, & gravis controversia inter Theologos, an simplex Sacerdos ex commissione summi Pontificis possit esse minister extraordinarius hujus Sacramenti, & Ordines sive Majores sive Minores valide conferre? Id enim de omnibus Ordinibus affirmat Angelus verbo Ordo 2. num. 2. sequens Innocentium IV. ab ipso citatum; Panormitanus cap. Quanto, de consuet. num. 9. & ex Recentioribus Vaquez disp. 243. cap. 4. Alii vero existimant, non posse simplicem Sacerdotem ex commissione Pontificis conferre Presbyteratum, bene tamen Minores Ordines, & Diaconatum, ac Subdiaconatum. Ita Recentius Amicus, Martinonus, & alii Recentiores. Alij id affirmant tantum de Subdiaconatu, & quatuor Minoribus, ut Suarez, Toletus, Henriquez, Conink, & alij. Demum id negant alij de omnibus Ordinibus, & concedunt solum de quatuor Minoribus. Ita Paludanus, Capreolus, Sylvester, Nugno, Petrus de Ledesma, Sylvius, & alij.

S. I.

Veter & probabilior sententia duplici conclusione sanatur.

3 Dico primo: Nequit simplex Sacerdos ex commissione Summi Pontificis conferre Majores Ordines. Ita D. Th. quest. 38. art. 1. ad 1. ubi hac scribit: Papa qui habet plenitudinem potestatis pontificalis, potest committere non Episcopo ea que ad Episcopatum dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum corpus Christi. & ideo ex ejus commissione aliquis Sacerdos simplex potest conferre minores Ordines, & conferre, non autem aliquis non Sacerdos, nec iterum Sacerdos majoris Ordinis, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod conferendum Papa non habet majorem potestatem, quam simplex Sacerdos. Quibus verbis rationem fundamentalem nostre conclusionis insinuat. Cum enim Summus Pontifex non habeat majorem potestatem supra corpus Christi verum in Eucharistia, quam simplex Sacerdos, quia habet solum potestatem circa ipsum ut conferendum, ex ejus commissione non potestatem relationem habent ad corpus Christi verum: Sed Majores Ordines immediatam relationem habent ad corpus Christi verum: Ergo nequit simplex Sacerdos ex commissione Summi Pontificis illos conferre. Minor est certa, nam licet non evidentiter conferat quod Subdiaconatus dicit immediatum ordinem ad corpus Christi (ideoque plures existimant, posse Pontificem concedere simplicem Sacerdoti, ut ordinem Subdiaconum) id tamen de Sacerdotio, & Diaconatu manifestum est; nam corpus Christi verum dupliciter considerari potest in Eucharistia, nempe ut consecrandum, & ut distribuendum fidelibus, sive ut deturandum: ut consecrandum immediate respicitur a Sacerdote, cujus proprium munus est consecrare corpus, & sanguinem Christi per verba consecrationis; ut deturandum vero, sive distribuendum, respicitur immediate ab Ordine Diaconi, utpote qui in primitiva Ecclesia esse officio distribuere sanguinem Christi sub speciebus vini, & modo portat esse officio corpus Christi in pyxide, vel in patena. Major vero probatur: Si non obstante quod potestas Summi Pontificis in verum Christi corpus non sit major ea quam habet simplex Sacerdos, potest nihilominus simplex Sacerdos ex ejus commissione illos Ordines conferre qui immediatam relationem habent ad corpus Christi, idem potest valide absque ejus commissione; quemadmodum enim commissio non potest augere potestatem simplicis Sacerdotis supra corpus Christi verum; ita nec extendere illam potest supra ea que immediate corpus illud respiciunt.

4 Confirmatur, & explicatur hac ratio. Ideo potest Summus Pontifex committere simplicem Sacerdoti ut valide Sacramentum Confirmationis administret, quia potestas administrandi hoc Sacramentum, est potestas aliquid prestandi quod immediatam relationem habet ad corpus Christi mysticum, sive ad membra talis corporis, nempe ad fideles, capaces suscipiendi Confirmationem, major autem est potestas Summi Pontificis, quam simplicis Sacerdotis, supra corpus Christi mysticum. Ergo cum ex contra Summus Pontifex non habeat majorem potestatem supra corpus Christi naturale, quam simplex Sacerdos, non potest ei concedere facultatem ministrandi illos Ordines qui immediate referuntur ad illud corpus, juxta tritum illud Philoophorum axioma: Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis. Confirmatur amplius: Si Summus Pontifex possit dare facultatem simplicem Sacerdoti conferendi Majores Ordines, vel ex potestate jurisdictionis id potest, vel ex potestate Ordinis: Non ex potestate jurisdictionis, utpote que non est ad actus qui immediate respiciunt corpus Christi in Eucharistia, quales sunt actus factus Ordinis Sacerdotalis, & Diaconatus; sed ad actus qui respiciunt immediate corpus Christi mysticum, vel solum remote habitudinem dicunt ad corpus Christi naturale. Neque ex potestate Ordinis, utpote que non est major in Summo Pontifice, quam in aliis inferioribus Episcopis, qui tamen nequeunt facultatem illam simplicem Sacerdoti committere, ut latetur Adversarij: Ergo Summus Pontifex non potest dare facultatem simplicem Sacerdoti conferendi Majores Ordines.

Dico secundo, simplicem Sacerdotem posse ex commissione vel privilegio Summi Pontificis conferre Minores Ordines. Constat tum ex praxi Ecclesie, tum ex Tridentino sess. 23. c. 10. de reform. ubi Concilium supponit Abbates ex privilegio Sedis Apostolicæ, posse Minores Ordines conferre Regularibus sibi subditis, solumque prohibentur, ne eos conferant laicis etiam sibi subditis. Eodem privilegio gaudent Presbyteri Cardinales, ex consuetudine, que, ut ait Soto, est optima legum interpretis.

S. II.

Solvuntur Objectiones.

Contra primam conclusionem objicitur primo: Florentinum in Decreto Eugenij statuens solum Episcopum esse ministrum Sacramenti Ordinis, addit ordinarij: Ergo cum loquatur de Ministro Ordinis universaliter sumpto, censet simplicem Sacerdotem posse esse ministrum extraordinarium ex commissione Pontificis, Sacramenti Ordinis universaliter sumpti, & consequenter Sacerdotij & Diaconatus.

Secundo, ex Concilio Antiocheno cap. 10. & Anconano cap. 13. concedebatur Chorepiscopis (qui ut fere docet Damasus Epist. 5. non erant nisi simplices Sacerdotes) collatio Diaconatus, & Presbyteratus, dummodo ab Episcopo civitatis licentiam accepissent.

Tertio, Innocentius VIII. concessit Abbatibus Ordinis Cisterciensis facultatem conferendi suis Monachis quatuor Ordines Diaconatus & Subdiaconatus, ut referunt Emmanuel Rodericus tomo 1. qu. 18. art. 3. & Vaquez hic disput. 243. cap. 4. qui ait tale privilegium se legitime in quodam vetusto Codice qui inscribitur: Collatio Bullarum Ordinis Cisterciensis, & in Bibliotheca Collegij Complutensis Societatis Jesu servatur.

Ad primum respondeo, Florentinum dicendo Episcopum esse ministrum Sacramenti Ordinis, addidisse ordinarij, propter Ordines Minores, qui licet sint Sacramenta, possunt tamen, ex commissione Summi Pontificis, a non Episcopo valide & licite conferri.

Ad secundum respondeo primo, instituta Synodi Antiochenæ, tempore Julij 1. habitæ, nullus esse auctoritatis, utpote que ab Ariano edita fuerit, ut probat Baronius tomo 3. ad annum Domini 341. unde nonnulla ex illis, antiquis Ecclesie constitutionibus repugnant, qualia sunt que habentur can. 14. contra calibatam Sacerdotum. Nec obstat quod quidam Pontifices aliquando nonnullis ex Canonibus illius Concilii citaverint; id enim solum fecerunt quando agebant contra Græcos, ut eos propriis armis debellarent.

Secundo respondeo, duplicis generis olim Chorepiscopos fuisse, quidam enim non aliud erant quam Presbyteri, licet haberent ab Episcopo aliquam commissionem super reliquos Presbyteros, qualem nunc habent Decani; & de illis loquitur Damasus Epistola citata: alij vero erant veri Episcopi, sed vel sine certa Diocesi, solumque ad conversionem infidelium ordinati, vel Vicarij tantum aliorum Episcoporum; & de istis loquitur Concilium Antiochenum, ut liquet ex ipso texto, sic enim habet: Qui in villis & vicis constituti sunt Chorepiscopi, tametsi manus impositionem ab Episcopo susceperunt, & ut Episcopi sunt consecrati, tamen placuit sancta Synodo, citre eos oportere, modum proprium retinere, & gubernare.

Respondet, Damasum ibi solum agere de ordinatis a Chorepiscopis, quos negat esse veros Episcopos, & habere potestatem ordinandi. Unde non mirum, si ordinationem ab ipsis factam, nedum illicitam, sed etiam irritam & invalidam esse existimet, eamque necesse esse reiterari dicat.

ARTICULUS II.

Quinam sint capaces hujus Sacramenti?

13 Certum est, viros omnes baptizatos, & usum rationis habentes, esse capaces hujus Sacramenti, dummodo aliqua irregularitate vel censura Ecclesiastica non sint impediti; unde solum difficultas est, an etiam femine, catechumeni, & infantes, atque amenes ad illud capacitatem habeant? Pro resolutione Dico primo, solos viros esse capaces Sacramenti Ordinis, non vero feminas. Conclusio est certa de fide, & constat ex perpetua & nunquam interrupta Ecclesie traditione, que ad Ordinis valorem jure divino requiri sexum virilem semper existimavit, & ut hereticis ac infames Pepsianos habuit, qui teste Epiphano heresi 49. & Augustino heresi 27. ordinabant mulieres in Sacerdotes, atque etiam, ut addit Epiphanius, in Diaconibus altaris, & Episcopis. Quem errorem jam pridem extinctum fuditavit Lutherus, teste Alphonso de Castro lib. 10. adversus hereses, verbo Mulier. Hujus vero Ecclesiasticæ traditionis certitudo deducitur primo ex facto Christi, qui cum in ultima Cena Discipulos ordinavit, nullam admittit feminam, sicut neque cum post resurrectionem potestatem absolvendi a peccatis Apostolus contulit Joann. 20. Et sane si Christus femineum sexum ad Ordines admittisset, Beatam Virginem cum Apostolis ordinasset; quandoquidem ipsa dignus quam illi tractare potuisset Sacramentum altaris. Injuste etiam Ecclesia totum femineum Sacramentum Ordinis privavit.

14 Vario etiam hujus divinitus instituti asserti possunt congruentie. Prima, quam alligat Epiphanius loco citato, sumitur ex ipsa imperfectione sexus mulieris; Mulier enim genus lubricum est, erroneumque, ac intellectus humilis præditum, & per illud Diabolus fano venenum universo generi humano propinat. Secunda, Sacris Ordinibus annexum est munus publicæ docendi: Sed ex sententia Apostoli 1. ad Corinth. 14. turpe est mulierem loqui in Ecclesia: Ergo etiam turpe esset eam sacrorum Ordinum munus exercere. Tertia quam asserti S. Thomas hic qu. 39. art. 1. Sacramentum Ordinis gradus eminentiam significat: Sed in sexa femineo non potest eminentia aliqua gradus significari, quia mulier statum subjectionis habet: Ergo mulier non potest Ordinis Sacramentum suscipere.

15 Aliam rationem alligat D. Bonaventura in 4. dist. 25. art. 2. quest. 1. ubi ait quod in Sacramento Ordinis, persona que initiatur, significat Christum Mediatorem, cujus officio fungitur, juxta illud Apostoli 2. ad Corinth. 5. pro Christo legationem fungimur: Ad Mediator fuit tantum vir: Igitur solus vir est hujus Sacramenti capax, cui hæc mystica significatio ex Christi institutione annexa est. Addit Epiphanius loco citato, quod cum nulla ab exordio mundi mulier legatur unquam sacrificium Deo obtulisse, sive inter fideles, sive inter infideles; & Deus in lege scripta ex solis viris Sacerdotes elegerit, & Levitas in ministerium altaris: lex Evangelica a fortiori id postulabat quoad fidei Sacerdotum, & altaris ministerium.

16 Tria tamen in contrarium, tamquam fundamenta hujus heresis, objiciebant Pepsiani. Primum, quod tam in veteri quam in novo testamento femine fuerint Prophetissæ. Secundum, quod in primitiva Ecclesia erant Subdiaconissæ, Diaconissæ, Presbyteræ, & Episcopæ. Tertium, quod Apostolos ad Galat. 3. ait, in Christo Jesu neque esse masculum, neque feminam.

17 Verum hæc trivola sunt, & facile dilui possunt. Ad primum enim respondeo Sanctus Thomas artic. citato ad 1. quod prophetia non est Sacramentum sed Dei donum, unde ibi non exigitur significatio, sed solum res; & quia secundum rem, in his que sunt anima, mulier non differat a viro, cum quandoque mulier invenitur melior, quantum ad animam, multis viris; ideo donum prophetiæ, & alia hujusmodi potest recipere, sed non Ordinis Sacramentum.

18 Addo quod prophetia per se primo non dirigitur ad præminendum aliis in Ecclesia (sicut Ordinis Sacramentum, qui ordinatum constituit in quadam præminencia supra alios) sed solum ad ea cognoscenda, que sunt supra hominis statum; unde per se non dirigitur ad alios docendos, sed ad periciendum seipsum; quare licet donum Prophetiæ non repugnet sexui muliebri, Sacramentum tamen Ordinis mulieri videtur incongruum.

19 Dico: Damasus Epist. 4. ait, per illicitam manus impositionem vulnerari caput suscipientis, & subdit: Reiterari necesse est, quod legitime altum aut collatum minime probatur: Ergo censet ordinationem ab Episcopo heretico, excommunicato, vel degradato factam, nedum esse illicitam, sed etiam irritam & invalidam.

congruum, eum preeminencia & potestas in viros ipsi non conveniat.

Ad secundum respondet idem S. Doctor ibid. in corp. articuli, quod in decretis fit quidem mentio de Diaconibus & Presbyteris, sed Diaconibus ibi dicitur, quia in aliquo actu Diaconi participat, sicut, quia legis homilium in Ecclesia: Presbyteris autem dicitur vidua, quia Presbyter idem est quod senior.

Alia quoque significatione Presbyteri olim dicebantur, quae Presbyteris ante Ordinationem sacram nupserant, & ab eis iam ordinatis, ex mutuo consensu, sponte fuerant separatae, sed eorundem cura nutrienda; sicut Episcopos vocabantur quorum maritus Episcopus factus fuerat, & similiter Diaconissa, quarum maritus ad Diaconatus Ordinem assumptus erat, ut patet ex Concilio Antiocheno canon. 21. ubi sic statuitur: Non licet Presbytero in uno lecto, post acceptam benedictionem, cum Presbyteria sua dormire, neque in peccato carnali committeri; neque Diacono, neque Subdiacono, cum sua videlicet Diaconissa, vel Subdiaconissa; id est conjugio ante ordinationem ducta. Et in secunda Synodo Turonica sub Pelagio canon. 20. excommunicantur Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus, qui inventi fuerint cum sua Presbyterissa, Diaconissa, vel Subdiaconissa. Quae de re plura Panellius annot. 72. in librum Tertulliani de exhortatione ad Castitatem.

Ad tertium respondetur, Apollolum loco citato loqui de discrimine inter virum & mulierem, quoad meritum, non vero quoad officium.

Dico secundo, solos baptizatos esse capaces Sacramenti Ordinis, non vero Catechumenos.

Hac conclusio non minus est certa quam praecedens, cum enim Baptismus fit janua aliorum Sacramentorum, ante eius susceptionem, homo nullius Sacramenti est capax; unde Catechumenus contrahendo Matrimonium, non recipit gratiam Sacramentalem quam hoc Sacramentum in baptizatis causat; cum non sit capax Matrimonii ut est Sacramentum, sed solum ut est contractus naturalis & civilis.

Dices primo, Catechumenus per fidem conjugitur Christo, & effectus eius membrum: Ergo redditur capax meritum passionis Christi, nobis communicatur.

Respondetur per solam fidem Catechumenum non fieri perfecte membrum Christi, nam hoc fit per unionem visibilem cum Ecclesia visibile, sed inchoat tantum, subindeque nondum esse capace eorum donorum, quae Christus per Sacramenta &c. instituta, vult fidelibus, sua Ecclesiae adhuc visibilem unitis, communicari.

Dices secundo: Lectores olim in Ecclesia Alexandriae indifferenter ex fidelibus, & Catechumenis assumabantur, ut scribit Socrates lib. 5. tripartite Historiae cap. 22. Sed Lectores est unus ex quatuor Minoribus Ordinibus: Ergo Catechumeni sunt capaces Sacramenti Ordinis.

Respondetur Socratem loco citato tantum significare voluisse, quod Ecclesia Alexandriae solebat assumere, non ad Ordinem, sed ad actionem Lectoris & Psalmista, sive Catechumenus, sive baptizatos; cum tamen omnes aliae Ecclesiae, non nisi baptizatos assumerent.

Dico tertio, infantem esse capace Sacramenti Ordinis. Ita communiter Theologi cum D. Thoma hic qu. 39. artic. 2. contra Durandum in 4. dist. 25. quest. 2. ubi affirmat rem valde dubiam esse, an pueri ante usum rationis valide possint ordinari. In cuius sententiam inclinare videtur Petrus Soto lib. de inf. Sacerdot. lect. 5. de Sacramento Ordinis §. secundo etiam.

Hanc conclusionem probat D. Thomas artic. citato tripliciter: nam in argumento Sed contra, probat illam primo ex cap. unico De Clerico per saltem premissis, ubi consultus Innocentius III. ab Episcopo Bononiensi; quid fiat ei qui Sacerdotium, Diaconatu praetermissis, accipit, Minoribus Ordinibus infra annos discretionis susceptis? Respondet, conferendum esse Diaconatum, nulla mentione facta de Subdiaconatu, & Minoribus Ordinibus, infra annos discretionis susceptis; quia nimirum iudicavit, eos fuisse valide collatos; alioquin iussisset cum Diaconatu repeti.

Secundo eam probat, quia alia Sacramenta in quibus character imprimitur, possunt pueri suscipere, videlicet Baptismus & Confirmationem: Ergo pari ratione & Ordinem.

Nec valet si dicas, esse specialem rationem pro Sacramento Ordinis, cum enim in ejus forma dicitur: Accipe potestatem, requiritur acceptatio rei quae traditur, subindeque consensus, cuius parvulus incapax est. Non valet, inquam. Tum quia simili modo dicitur infanti quando baptizatur sollempniter. Accipe sal sapientiae. Accipe signum crucis. Dominus in seipso Iesu Christi. Tum etiam quia potestas illa quae per Sacramentum Ordinis datur, non traditur per modum contractus, donationis

aut pacti, ad quod requiritur acceptatio, sed per modum efficacis operationis, respectu cuius recipiens meretur passive se habet, eodem modo quo per baptismum conferitur gratia & potestas participandi de bonis communibus Ecclesiae, recipiendique alia Sacramenta. Unde si infans ordinaretur ab Episcopo, per haec verba, Accipe potestatem, non invitaretur ad eam recipiendam moraliter, & rationally, sed significaretur potestas dantis, & vera traditio. Neque in Scriptura institutum est, simili modo loquendi significari alium effectum erga res etiam inanimatas, quae in illum consentire nequeunt; ut quando Ioseph cap. 10. dixit ad susendum Solem: Ita Sol, & Luna super Gabaon ne movearis; & cum Christus Matth. 21. dixit ad ficulneam: Nunquam ex te fructus nascetur in sempiternum.

Tertio Divus Thomas in corpore eiusdem articuli probat nostram conclusionem hoc discursu: Sacramenta quae non in actu, sed in potestate consistunt, conferri possunt ante illum suscipiendum actum; ideo enim Baptismus, & Confirmatio possunt conferri sine actu parvuli baptizandi, & confirmandi, quia consistunt in potestate. Contra vero ideo Penitentia, & Matrimonium nequeunt sine actu penitens, & contrahens conferri, quia consistunt in actu, seu quia de illorum essentia est aliquis actus, ut contritio, & confessio in Sacramento Penitentiae, & consensus in Matrimonio: Atque Sacramento Ordinis non in actu, sed in potestate consistit, ut ex eius definitione constat; neque de illius essentia est aliquis actus, puta acceptatio potestatis, quae per illum traditur, ut patet ex supra dictis. Ergo conferri potest ante illum suscipiendum actum, subindeque parvulo licet sit incapax consensus. Idem dicendum de amente, quia de illo par ac de infantibus est ratio, cum sit perpetuo infans & parvulus sensu.

Motiva Durandi in contrarium levissima sunt, & ad duo praecipua capita reducuntur: ait enim in primis, absurdum videri quod parvulus carens omnino usu rationis, possit dici, & esse Sacerdos, aut Episcopus; alias enim erit etiam capax papae potestatis, & poterit familiariter dici & esse Summus Pontifex.

Deinde sic arguit: Ad receptionem cuiuslibet Sacramenti requiritur propria intentio suscipientis, si sit adultus, vel interpretativa, si sit parvulus, qualis est intentio parentum in Baptismo filiorum parvulorum: Sed in parvulo, si ordinetur de facto, non potest esse propria voluntas suscipiendi Ordinem, cum non habeat usum rationis, nec interpretativa, cum enim Sacramentum Ordinis non sit, sicut Baptismus, de necessitate solatis, voluntas parentum non est, quoad eius susceptionem, voluntas filiorum interpretative: Ergo parvulus est incapax recipiendi Sacramentum Ordinis.

Ad primum nego Antecedens, nullum quippe est absurdum, infantem Presbyterum denominari, cum haec denominatio non fiat ab actu, sed a potestate, per externum symbolum infanti collata, sicut dicitur rationalis, licet nullum rationis actum exercere possit, & fidelis ab habitu fidei per Sacramentum Baptismi sibi infuso.

Quantum vero ad Episcopatum dico, duo esse in illo distinguenda, nimirum extensionem physicam characteris Sacerdotalis, & potestatem jurisdictionis, sive curam pastorem animarum, & Matrimonium spirituale cum Ecclesia cuius gubernationem suscipit; primumque posse conferri infanti, non vero secundum; quia illud consensus, & libertatem necessario praesupponit, non vero illud. Quo sensu intelligendus est D. Thomas, dum articulo supra citato ait esse de necessitate consecrationis Episcopalis, quod consecrandus usum rationis habeat; loquitur enim ibi de potestate jurisdictionis, non vero de extensione characteris.

Quantum ad dignitatem, & potestatem Papalem, nego infantem esse illius capace; quia de facto Deus non confert hanc potestatem, nisi persona quam Ecclesia ut idoneam ad hoc munus elegerit: repugnat autem quod Ecclesia, a Spiritu Sancto directa, eligere possit infantem; & si per impossibile ipsum eligeret, talis electio, utpote legi ac juri naturali repugnans, esset nulla. Adde quod potestas Papalis, quae est omnium suprema, est potestas mystici capitis iugiter influentis in membra totius Ecclesiae, per directionem & gubernationem, & dogmatum fidei propositionem: repugnat autem quod infans influat per modum mystici capitis in membra Ecclesiae, cum hic influxus debeat membra regula rationis, quae infans caret, in membra derivari.

Ad secundum nego Majorem, falsissimam est, parvulis ad recipienda Sacramenta quorum sunt capaces, ut Baptismus, Confirmationem, & Eucharistiam, necessariam esse intentionem, sive ipsorum, sive parentum, aut Ecclesiae pro ipsius consentientis, & cuius voluntas sit interpretative voluntas ipsorum parvulorum: neque enim Baptismus v. gr. illis applicatur, ideo validus est, quia Ecclesia vel parentes consentiant ipsorum nomine, sed

sed quia institutio Christi nihil aliud requirit ad ipsius valorem respectu parvulorum, nisi ut ipsi applicetur materia & forma Baptismi: cum intentione debita; unde puer valide baptizaretur, tamen si parentes reniterentur. Idem cum proportione dicendum de Sacramento Ordinis, nam renitentibus etiam ipsi parentibus, illud valide ab infante reciperetur, si Episcopus debitam materiam, & formam ipsi applicaret. Non tenebatur tamen talis parvulus, cum ad annos discretionis pervenisset, in Ordine sibi in infantia collato perseverare, sed potest illi renuntiare, & matrimonium contrahere, cum non potuerit Ecclesia illum ad votum continentiae obligare, independentem ab ejus voluntate.

ARTICULUS III.

An calidatus lege Divina, vel tantum Ecclesiastica, factis Ordinibus sit annexus, nullaque lex iusta & conveniens sit, & a temporibus Apostolorum in Ecclesia viguerit?

Pro intelligentia & resolutione hujus difficultatis notandum est, legem calidatus ad duo obligare: primum est, ut omnis conjugatus qui sacris Ordinibus initiat, perpetuum fervet continentiam; secundum, ut non conjugatus postquam aliquem ex sacris Ordinibus suscepit, uxorem non ducat. Quaeitur ergo primo, an lege Divina, vel solum Ecclesiastica, cohibeatur quoad haec duo annexus sit sacris Ordinibus? Secundo, an supposito quod talis lex sit pure Ecclesiastica, recte & convenienter ab Ecclesia constituta fuerit, & quo tempore?

Quoad primum Franciscus Turrianus lib. 2. de dogmaticis characteribus, contendit jure & conceptu divino obligari eos, qui post contractum Matrimonium susceperunt sacros Ordines, non uti amplius conjugio; moloque magis teneri eodem jure divino non contrahere Matrimonium, post sacrum Ordinem susceptum. Joannes vero Major, Michael Medina, & Chetoveus Doctor Parisiensis negant quidem Clericos aut sacros Ordines conjugatos, teneri propter eorum susceptionem jure divino ad continentiam servandam; sed affirmant divina lege vetitum esse sacris hominibus post Ordines Matrimonium contrahere.

Quantum ad secundum, Graeci Schismatici Ecclesiam Latinam reprehendunt, quod ordinatos post conjugium jubeat ab uxoribus separari, & amplius non vacare conjugio. Haereticis vero hujus temporis in eo quidem cum Graecis Schismaticis conveniunt; sed ulterius addunt, male, & injuste ab Ecclesia statutum fuisse, ut illi ipsi qui jam sacris Ordinibus initiat sunt, non possint contrahere Matrimonium, talemque legem dicunt repugnare antiquis Conciliis, & a solo Papa hujus fecit; immo non nisi a quadringentis annis in Germania introductam.

§. I.

Prima pars quaerit duplici conclusione resolvatur.

Dico primo: Conjugal usus cum uxoribus ante facram ordinationem ductis non est prohibitus sacris hominibus jure divino, sed tantum Ecclesiastico. Ita Div. Thomas 2. 2. quest. 88. artic. 11. in corp. ubi haec scribit: Non est essentialiter annexum debitum continentiae Ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiae; unde videtur quod per Ecclesiam possit dispensari in voto continentiae, sollemnizato per susceptionem sacri Ordinis. Quibus verbis rationem fundamentalem nostrae conclusionis insinuat: Ecclesia enim non potest dispensare in his quae sunt de jure divino; immo nec tolerare aliquid lege divina prohibitu: Sed Ecclesia dispensat cum Graecis, & permittit, ut susceptis Ordinibus Majoribus, maneant in usu Matrimonii antea contracti, vel saltem talem Graecorum consuetudinem tolerat, nec damnat ut legi divinae adversam: Ergo conjugal usus cum uxoribus ante facram ordinationem ductis, non est prohibitus sacris hominibus jure divino, sed tantum Ecclesiastico. Major patet, Minor probatur ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 14. ubi contra incontinentiam Clericorum sic legitur: Qui autem secundum regionis suae morem non abdicaverint copulam (id est Graeci Sacerdotes) si lapsi fuerint, gratias matrimoniales, cum legitimo Matrimonio uti possunt. Et in cap. Cum olim, Clericis conjugatis, idem Pontifex haec scribit: Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesiae votum continentiae non admittit: quantum Orientalis in Minoribus Ordinibus contrahunt, & in superioribus votum matrimonii contrahunt, & in superioribus non a Pontifice non improbat. Similiter neque in Concilio Lugdunensi, neque in Florentino, ullo modo Graecis obiectum legitimum, quod Sacerdotes eorum uterentur conjugio ante facram ordinationem con-

tracto, & continentiae legem non fervarent, sicut servatur in Latina Ecclesia; Ergo Ecclesia dispensat cum Sacerdotibus Graecis ut utantur conjugio ante facram ordinationem contracto, vel saltem talem usum & consuetudinem Graecorum non improbat, sed permittit, quoniam tamen tolerare non possit, si juri divino repugnet.

Confirmatur primo: Gregorius Magnus lib. 1. Registri Epistol. 42. permittit Subdiaconis Siciliae ut uxoribus ante ordinationem ductis, quamvis in posterum tales ordinari vetuerit, nisi una cum uxoribus continentiam promitterent: At hoc non permisisset, si jure divino prohibitu esse intellexisset: Ergo jure solum Ecclesiastico tenentur illi qui Majoribus Ordinibus sunt initiat, non uti amplius Matrimonio jam ante contracto.

Confirmatur secundo: Ecclesia multis canonibus statuit, ut votum continentiae ab ordinandis sacris Ordinibus exigeretur: At si jure divino annexa esset factis Ordinibus continentia, non esset ex parte ordinandorum necessarium votum, aut lex Ecclesiae ad eam illis obligans; Ergo continentia jure tantum Ecclesiastico Ordinibus sacris annexa est.

Confirmatur tertio: Nullum extat praecipuum divinum de hac re in Scriptura, vel Traditione, ut constat ex solutionibus objectionum; neque ex lumine naturali colligi potest: quamvis enim ratio naturalis dicitur, esse valde congruum quod sacri homines abstinere ab usu Matrimonii, non tamen dicitur esse necessarium; alias peccassent Sacerdotes legis antiquae, habendo uxores: Ergo usus conjugii sacris hominibus jure tantum Ecclesiastico prohibitus est.

Dico secundo, similiter jure solum Ecclesiastico prohibitu esse contrahere Matrimonium his omnibus qui Majoribus Ordinibus initiat sunt. Est etiam D. Thomas in 4. dist. 37. quest. 1. artic. 1. in corp. ubi haec scribit: Ordo sacer de sui ratione habet ex quadam congruentia quod Matrimonium impedire debeat, quia in sacris Ordinibus constituitur sacra vasa & Sacramenta trahant; & ideo decent est, ut munditiam corporalem per continentiam servent: sed quod impedit Matrimonium, non nisi ex constitutione Ecclesiae habet; tamen aliter apud Latinos, quam apud Graecos, quia apud Graecos impedit Matrimonium contrahendum, solum ex vi Ordinis; sed apud Latinos impedit ex vi Ordinis, & ulterius ex voto continentiae, quod est Ordinis sacris annexum; quod etiam si quis verbo tenus non emittat, ex hoc ipso quod Ordinem suscipit, secundum ritum Occidentalis Ecclesiae, intelligitur emissit, & ideo apud Graecos, & alios Orientales sacer Ordo impedit Matrimonium contrahendum, non tamen Matrimonii prius contracti usum; possunt enim Matrimonio prius contracto uti, quantum non possint Matrimonium de novo contrahere; sed apud Occidentalem Ecclesiam impedit Matrimonium, & Matrimonii usum. Quibus verbis S. Doctor hanc & praecedentem conclusionem aperte docet, & egregie illustrat.

Ratio etiam suffragatur: Si enim Matrimonium jure divino pugnet cum sacris Ordinibus, non posset Pontifex dispensare, ut sacris Ordinibus initiat nuberet: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet, Pontifex enim non habet potestatem dispensandi in jure divino. Minor vero probatur, tum ex praxi Ecclesiae, quae pluries in hoc dispensavit, tum ex D. Th. 2. 2. quest. 88. artic. 11. qui cessi id neget de Religioso professio, concedit tamen de Presbytero. Nec valet si dicas, quod cum Ecclesia dispensat ut sacris Ordinibus initiat nubat, privat illum exercitio sui ministerii. Nam licet Ecclesia regulariter id praestet, interdum tamen eos sacri Ordinis ministerio relict, ut constat ex Concilio Ancyrano, celebrato ante Nicenum, approbato a Leone IV. in ejus can. 10. sic habetur: Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa Ordinatione professi sunt, & dixerint velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt, in ministerio manent, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit.

Potest insuper luaderi ista conclusio ex dictis in praecedenti, si enim usus Matrimonii non sit jure divino prohibitus Clericis, sacris Ordinibus initiat (ut constat exemplo Graecorum, qui licite utuntur Matrimonio ante facram Ordinationem inito) multo minus ipsum Matrimonium; Matrimonium enim non prohibetur sacris hominibus, ratione contractus, qui bonus est & Sacramentalis, sed ratione usus, qui solus videtur habere repugnantiam cum ministerio & statu sacrorum hominum. Unde Trid. sess. 24. can. 9. manifeste significat juris tantum Ecclesiastici esse, quod Majoribus Ordinibus initiat Matrimonium contrahere nequeant, cum sic ait: Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel religiose castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, &c. anathema sit.

44 Contra primam conclusionem proponit Turrianus Scripturam & SS. Patrum testimonia, quae ne apparenter quidem probant id quod intendit; unde miratur Vasquez, illis ipsum adduci potuisse in sententiam omnibus Theologis contrariam, dicitque ut sum excuset, nimio castitatis, cuius erat amatissimus, zelo accensus, existimasse id quod ardentius cupiebat, nimirum ex quolibet Scripturae & Patrum testimonio id expressè deduci. Aliqua tamen proponit, ex Patribus testimonia, quae aliquid habent apparentiae, ea praecipue quae ex Syrico Papa Epist. 1. ad Himerium Tarracoensem Episcopum cap. 7. ex Epiphano heresi. 59. & ex Eusebio Caesariensi lib. 1. de Demonstratione Evangelica cap. 9. adducit; Verba Syrici haec sunt: *Domini Iesus cum suis non illustrasset adventum, in Evangelio praeparavit, quia legem venit implere, non servare, Et ideo Eusebius, cuius scriptus est spiritus sanctus, castitatis veluti splendore nitere, ut in die iudicii, cum iuratus ad iudicium, sua macula & virga eam passus, sicut per Apostolum Iuano instruitur, reperit, Quam sanctum Sacerdotis omnes atque Levitae iustitiae lege constringuntur, ut a hie carnalium vestra, solentur ne pudicitia, & carnis usque mancipent, & corpora.* Epiphanius vero loco citato sic habet: *Revera non suscepit sancta Dei praedicator, post Christi adventum, eos qui a nuptiis, motum coram uxore, secundis nuptiis conjuncti sunt, & ad alia venentem & liberis generentem antea nuptiis virum non visis in Diaconum, Presbyterum, Episcopum &c. Demum Eusebius citatus ait, Secundum legem, non instrumenti debere sacris initiati ab uxore abstinere: At leges novi testamenti sunt leges Christi & divinae: Ergo iure divino sacris Ordinibus initiati tenentur abstinere ab usu conjugii.*

45 Verum haec levia sunt, verba enim Syrici non plus probant, quam continentiam ministrorum Ecclesiae esse secundum Christi voluntatem & beneplacitum, qui voluit Ecclesiam Evangelicam castitatis splendore radiare; & esse pariter ex institutione seu constitutione & praecocepto Apostolico, lato secundum Christi beneplacitum & intentionem, ut significant verba illa Syrici, sicut per Apostolum suum instruitur. Epiphanius vero nomine sancti Dei praedicatoris, intelligit praedicationem legis non Evangelicam, sed Ecclesiasticam, quam ideo vocavit hoc nomine, quia simul cum lege Evangelica, sive cum lege Dei ab Apostolis praedicata fuit. Similiter Eusebius, per leges novi testamenti, intellexit leges non a Christo latas, sed ab Ecclesia vel Apostolis traditas in novo testamento. Quas interpretationes legitimas esse, & ad mentem illorum, colligit manifestè ex eo quod eodem modo loquantur de lege prohibente perfonis sacris usum conjugii, ac de lege arcente bigamus a Sacerdotio, ut constat ex verbis illis Epiphanius supra relatis: *Non suscepit sancta Dei praedicator, post Christi adventum, eos, qui motum coram uxore secundis nuptiis conjuncti sunt: At lex quae bigamos non admittit ad Sacerdotium, est pure Ecclesiastica, ut docent commentarii Theologi, & articulo sequenti ostendimus: Ergo illi tenent legem prohibentem perfonis sacris usum conjugii, non esse divinam, sed pure Ecclesiasticam.*

46 Plura etiam contra primam conclusionem proponit Turrianus argumenta, inter quae istud praecipuum est: Sacerdotes & Levitae veteris testamenti, iure divino prohibebantur ab uxore abstinere tempore suae vicis: Ergo a fortiori Sacerdotes & Levitae novi testamenti iure divino tenentur tota vita continentiam servare. Nam ideo illi iure divino tenebantur tempore suae vicis continentiam servare, quia eo tempore divina mysteria tractabant, quae hanc animi & corporis puritatem exigebant: At Sacerdotes & Levitae novi testamenti toto vite tempore tractant divina mysteria; legitur toto vite tempore, iure divino tenentur continentiam servare.

Confirmatur: Lex divina prohibens Sacerdotibus & Levitis veteris testamenti ab uxore abstinere tempore suae vicis abstinere, non fuit ceremonialis, aut iudicialis, sed moralis, fundata in virtute religionis & sanctitate, quam sacrosancta mysteria in ministro praerquirunt: Ergo non cessavit in lege Evangelica.

47 Ad objectionem, concessio Antecedente, nego Consequentiam, nam de Sacerdotibus & Levitis veteris testamenti, habemus plura Scripturae loca, quibus Deus jubet eos ab usu matrimonii abstinere, tempore suae vicis: de Sacerdotibus autem & Levitis novi testamenti, nullum legitur in Scriptura testimonium, quo idem eis praecipitur; immo plures in oppositum sunt Conciliorum & Patrum auctoritates supra adductae. Nec refert

quod Dei praecoceptum respectu Sacerdotum & Levitarum veteris testamenti sit morale & fundatum in ipsa virtute religionis, & puritate quam in ministris sacrosancta mysteria requirunt; nam haec solum convenientiam & congruitatem, non necessitatem indicant; cum nullam ex natura sua indecentiam, cultui divino repugnantiam, usus matrimonii habeat; & quamvis aliquam haberet, ex hoc solum posset colligi, tenei iure divino sacros homines ab usu conjugii abstinere eo tempore quo sunt altari ministraturi; quod etiam tempore Graeci, exemplo Sacerdotum & Levitarum veteris testamenti, ab uxore abstinere. Per quod patet ad Confirmationem.

Contra secundam conclusionem objicit primo Michael Medina. Concilia & Patres conjungunt, carnalia conjugia esse sacris hominibus prohibita, quia sunt persona Deo consecrata, non minus quam vasa sancto chrymate debita: Ergo sicut ex natura ipsa benedictionis sive consecrationis calicis procedit, quod ad alios usus deservire nequeat, ita & ex ipsa Ordinum sacrorum natura, sive institutione, non vero praecise ex prohibitione Ecclesiae procedit, quod sacris Ordinibus initiatis non liceat Matrimonium contrahere.

Secundo, longe gravior poena olim imponebatur, iis qui post susceptos sacros Ordines celebrabant Matrimonium, quam qui antea contracto utebantur; quod signum est, majus esse peccatum, Sacerdotem post susceptum Ordinem matrimonium contrahere, quam contracto ante Sacerdotium, ut in ipso Sacerdote; consequenter istud quidem esse tantum contra legem Ecclesiasticam, sed illud adversari legi divinae.

Confirmatur: Prior transgressio puniebatur excommunicatione, quae antiquis saeculis, non nisi in violatores divini juris vibrabatur.

Tertio, Graecis esse indultum sit, ut possint uti matrimonio ante sacrum Ordinationem contracto, nunquam tamen cum illis dispensatum est, ut post susceptos sacros Ordines possint uxores ducere. Quod non leve flagitium est, in hoc Ecclesiam dispensare non posse, subindeque esse alicuius juris quam humani.

Ad primum, nego suppositum consequens, nimirum quod praecoceptum prohibens usum prophanum calicis consecrati, sit divinam, est enim tantum Ecclesiasticum, sicut ipsi calicis consecratio; unde sicut Ecclesia potest urgere alia necessitate dispensare, ut vasa Deo consecrata, ad prophanos usus applicentur, ita & cum sacro homine ad contrahendum Matrimonium.

Ad secundum respondeo majus esse peccatum eorum qui post Ordines susceptos Matrimonium contrahunt, & eo sic contracto utuntur, quam sit peccatum illorum qui ante susceptionem Ordinum conjugati, his factis, a conjugio non abstinere, licet neutrum sit iure divino prohibuit, sed tantum Ecclesiasticum; ac proinde mirum non esse, quod major poena ab Ecclesia statuta fuerit pro peccato illorum, quam pro peccato istorum.

Ad confirmationem dico, propter transgressionem legis Ecclesiasticae, poenas etiam depositionis, excommunicationis, & alias quosmodi esse statutas ab ipsa Ecclesia, ut ex eius canonibus constat.

Ad tertium respondeo, quod licet praecoceptum de non contrahendo post sacros Ordines Matrimonium, sit tantum Ecclesiasticum, sicut & praecoceptum de non utendo Matrimonio ante sacros Ordines contracto; Ecclesia tamen Spiritu Sancto ducta, prudenter iudicavit, & voluit, in favorem Matrimonii jus suum possidentis, cum Graecis dispensare in usu Matrimonii antea contracti, non autem in Matrimonio contrahendo.

S. III.

Alia distincta expenditur, & legem castitatis religiosissimam & utilissimam esse, & a temporibus Apostolorum in Ecclesia viguisse, contra haereticos ostenditur.

Deo tertio, Recte & iuste ab Ecclesia statutum fuit, ut sacris Ordinibus initiati continentiam servarent.

Probatum primo argumento a minori ad majus: Olim in antiqua lege, qui res multo minus sanctas, quam sit ministerium sacrum novi testamenti, tractaturi erant, jubebantur ab uxore abstinere, nam Exodi 19. cum legem Israelae accepturi essent, prohibiti sint ne suis uxorebus appropinquarent. Et 1. Regum 21. David & comites non fuerunt admitti ad panes propositionis, nisi protulerantur fide a mulieribus continentiss. Ex quo D. Hieronymus in cap. 1. ad Titum recte colligit, perpetuum debere servare continentiam nostris Sacerdotibus, qui corpus Christi, illis panibus significatum, jugiter consecrant, edunt, & ministrant, ac filium Virginis, & Virginum sponsum, atque omnis paritatis fontem quotidie manibus attrahant. Similia habet lib. 1. contra

tra Jovinianum num. 21. ubi expendens verba illa Abimelec Sacerdotis, Davidem sic interrogantis, *Si nudi sunt iusti, maxime a mulieribus?* Subdit: *Pauci enim profectio, quasi corpus Christi, de uxore cultibus confuzentes adere non poterunt.* Item Exodi 15. qui comesturi erant agnum paschalem, jubebantur vine acingere, id est voluptates carnis edomare, ut exponit D. Gregorius homil. 22. in Evangelia. Demum Sacerdotes per vices ministrantes in tabernaculo, toto tempore vicis suae, a domo & ab uxorebus abesse debebant, ut colligitur ex 1. Paralip. 24. & ex Luca 1. Ergo iustum & conveniens est, ut Sacerdotes nostri, perpetuo vacantes sacro ministerio, perpetuum servent continentiam, ut recte arguit Innocentius I. Epistol. 9. ad Victricium Rothomagensis Episcopum: *Quod dignum (inquit) & purum & honestum est, tenere Ecclesia omnino debet, ut Sacerdotes & Levitae cum uxorebus suis non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur: scriptum est enim, Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Nam si prius temporibus de templo Dei Sacerdotes anno vicis suis non discedebant, quanto magis his Sacerdotibus vel Levitis pudicitiam ex vi ordinationis sua servare debent; cum nec praevis dies, quae vel a sacrificiis divinis, vel a Baptismatis officio vacent?*

55 Admittit Calvinus lib. 4. instit. cap. 12. num. 25. hanc continentiae legem in Sacerdotibus & Levitis Mosaeicae legis, negat in Evangelicis: quia illi (inquit) Christum representabant, qui mediator Dei & hominum perfectissima sua puritate reconciliaturus Patrem nobis erat: hanc autem personam qui non representant Evangelici Ministri, falso cum illis comparant.

56 Sed haec frivola prolixae ac futilia sunt. Tum quia non solum ob Christi representationem, sed etiam, immo magis, propter sanctitatem sui ministerii, ut nimis purius eo fungentur, debebant Sacerdotes legis Mosaeicae, tempore ipsi ministerii, sese ab uxorebus continere. Tum etiam quia falsum est, Sacerdotes novi testamenti non representare Christum, eum enim, non quidem ut futurum, sed ut praesentem significant; immo non solum Christi personam representant, sed ipsius vice funguntur, ad Corinth. 5. *Pro Christo legatione fungimur*, ejusque personam in sacrificando sustinent, dicentes in eius nomine, *Hoc est corpus meum*. Major ergo in Sacerdotibus Evangelicis requiritur animi & corporis puritas, quam in antiquis Sacerdotibus & Levitis, qui personam Christi imperfecte adumbrabant, nec erant ipsius Legati & Vicarii, sicut Sacerdotes novae legis, sed ejus dumtaxat umbrae & figure.

57 Probatum secundo conclusio: Consequendo conjugalis impedimento est, ne sacri Ministri recte officio suo fungantur: Ergo recte & iuste ab Ecclesia statutum fuit, ut illi continentiam servarent, ac colibem vitam ducerent. Consequentia patet, Antecedens probatur. Ad officium sacrorum ministrorum duo praecipue pertinent, nempe sacrificare, & orationi ac contemplationi vacare: At consequendo conjugalis his duobus actibus non mediocriter obstat: primo quidem, nam cum sacrificium altaris augustissimum & sanctissimum sit, decet, ut qui illud offerant, insigni quadam puritate acie sanctitatis mentis & corporis polleant; alteri vero, quia actus conjugalis mentis aciem hebetat, & ab oratione & rerum divinarum contemplatione animum avertit ac distractit. Unde Theophrastus lib. 1. contra Jovinianum. (teste D. Hieronymo) dicebat, non expedire sapienter nubere. Et Apostolus 1. ad Corinth. 7. suadet idcirco conjugibus continentiam ad tempus, ut melius vacent orationi. Cum ergo Sacerdotes Evangelicis debeant semper orationibus & sacrificiis offerendis incumbere, semper debent a conjugio abstinere.

58 Dico quarto, legem de celibatu sacrorum Ministrorum, antiquissimam esse, & ab ipsis Apostolis indutam & constitutam.

Probatum primo ex verbis illis Apostoli ad Titum 1. *Opponet Episcopum continentem esse*: notat autem Bellarminus, Apostolum non fuisse usum nomine *Castum*, quod etiam conjugatis, legitimis suis uxorebus utentibus, convenit, sed nomine *continentem*, quod importat abstinentiam etiam a conjugali amplexu, ut Hieronymus ibi exponit dicens, *Continentem adidit, nempe ab uxore etiam amplexibus*.

59 Probatum secundo ex Epistola 2. Clementis ad Jacobum fratrem Domini, in qua inter alia movita a R. Petro sibi data, hoc recenlet: *Ut ad Dominica mysteria tales eligantur, qui aut ordinationem suam conjuges suas noverint.* (Mendose legitur, non noverint.) Quod si post ordinationem Ministro altaris confiteri proprium invadere cubile uxoris, sacrarii non intret limina, nec sacrificii portior fiat; nec altare contingat, nec ab offerentiis holocausti oblationem suscipiat, nec ad Dominici Corporis portationem accedat, nec aquam Sacerdotibus porrigat ad manus. Quamvis autem non sit certum, hanc Epistolam esse Cle-

mentis, tamen antiqua est, & in hac parte usi totius Ecclesiae probat, ut ex testimoniis omnium fere antiquorum Conciliorum & Patrum ostendit Bellarminus lib. 1. de Clericis c. 19.

Probatum tertio ex Concilio Carthaginensi secundo 60 can. 2. ubi sic dicitur: *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta conferunt, pudicitiae custodes, etiam ab uxorebus se abstinant, ut quod Apostolus docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Unde Soto lib. 7. de iustitia, haec Aratoris, Ecclesiae in Pontificibus suis pudicitiam commendantis, carmina refert:

*Ecclesia nunc alma fides sine fine pudica
Pontifices jubet esse suos, &c.*

Cui etiam quadrat illud Hieronymi lib. 1. contra Vigilantium: *Quid facient Orientis Ecclesia, quid Egypti, aut Sedis Apostolicae, qui aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerunt, desistant esse mariti, nempè quoad usum conjugalem.* Arguit contra Vigilantium haereticum, qui virginitatem & pudicitiam ab Ecclesia Christi alegandam esse contendebat.

Ad pleniore hujus conclusionis intelligentiam; quaedam breviter hic observanda sunt. Primum est, Subdiaconatum non habuisse semper annexam obligationem continentiae, & votum servandae castitatis, quia in primitiva Ecclesia inter Ordines sacros non computabatur, ut docet Innocentius III. cap. A multis, de etate & qualitate ordinandorum, ubi refert tempore Urbani II. Subdiaconatum non fuisse inter Ordines sacros communeratum, quod Decretum tamquam Urbani II. refertur can. Nullus in Epist. dist. 60. ubi Pontifex, Sacerdos, inquit, *Ordines divinos Diaconatum & Presbyterium: hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia.* Fuisse autem illi continentiae votum annexum tempore Gregorii Magni, constat ex can. Ante trinitatem, dist. 31. in quo mandat Pontifex, ut Subdiaconi Ecclesiarum Siciliae, more Romanae Ecclesiae, continentiam servent. Quod prius statutum fuerat in Concilio Ilberitano can. 33. ubi sic dicitur: *Placuit in usum prohibere Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, abstinere se a conjugibus suis.*

Secundo notandum est, quod licet ab initio Diaconis, 62 Presbyteris, & Episcopis prohibitum fuerit Matrimonium contrahere, non fuit tamen propterea Matrimonium ab illis contractum ab initio irritum, sicut nunc est de jure Ecclesiastico, ut colligitur ex canone lo. Concilii Ancyranis, ubi solum dicitur, Diaconos, qui profecti continentiam in ordinatione, postea Matrimonio junxerint, debere a ministerio cessare, non autem debere ab uxorebus separari, estque permittitur communio laica: At si tale Matrimonium fuisset invalidum, debuisse sent ab uxorebus, sive potius a concubinis separari; nec ipsi in tali Matrimonio seu potius concubinato manentibus, permitti potuisset communio laica: Ergo tale Matrimonium tunc non erat jure Ecclesiastico irritum, sicut modo. De quo fute Basilius Pontius l. 7. de Matrimonio c. 27.

Tertio sciendum est, viduas quae tempore Apostolorum eligebantur, ut velut Diaconissae ministrarent Ecclesiae fuisse obstrictas voto castitatis, ut colligitur ex Apostolo 1. ad Timoth. 5. ubi praecipit non eligi juniores; quia cum luxurians fuerint in Christo (id est cum bonis Ecclesiae ad proprium usum abutentes, lautius se nutriverint, & quod facile ex eo sequitur, ad lasciviam stimulos sentire coeperint) nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, id est promissionem Deo factam de servanda continentia violaverunt. Unde Augustinus in Psalm. 75. ad illum versum, *Vovete & reddite Domino Deo vestro*, haec scribit: *Quisque quod vovet voluerit, voveat; sed illud attendat, ut quod voverit reddat, &c. Quod autem ait (Apostolus) de quibusdam quae voverunt & non reddiderunt: Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, Quod est primam fidem irritam fecerunt? Voverunt, & non reddiderunt.*

Demum observandum est, legem de servanda continentia a sacris hominibus, fuisse in Ecclesia Latina continuo servatam, ut nunquam ab ea deviare licitum fuerit; fecus in Graeca, in qua talis lex fuit abrogata, & permissum est ministris altaris, cum propriis uxorebus consuetudinem habere. Quando vero lex illa in Ecclesia Graeca abrogata coepit, & licitus esse uxorio usus iis qui ante sacram ordinationem Matrimonio copulati erant, dubium & incertum est. Aliqui putant, eam primo fuisse abrogatam in Concilio Ancyrano, celebrato ante Nicenum, & approbato a Leone IV. idque colligitur ex quadam historia quae refert Socrates lib. 1. cap. 8. quod volentibus Niceni Concilii Patribus statueret ut sacris initiati abstinere ab uxorebus ante ordinationem duxerant, quidam Monachus, nomine Paphnutius, qui huc Concilio intererat, se opposuit ne talis lex terretur; idque a Patribus obtinuit.

Verum hoc valde incertum est, tum quia historia illa a multis rejicitur ut apocrypha; tum etiam quia D. Epiphanius, qui post Concilium Nicenum floruit, heresi 59. sic ait: *Ecce adhuc viventem & liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit, sed eum qui se ab unica contineat, aut in viduitate vixit, Diaconum, Episcopum, & Presbyterum, & Hypodiacum suscipit, maxime ubi sancti sunt canones Ecclesiastici.* Et mox subiungit: *At dices mihi, in aliquibus locis liberos gignere Presbyteros, Diaconos, & Hypodiacos. At non est (inquit) iuxta canonem, sed iuxta hominum mentem, qua per tempus elongavit.* Item Hieronymus supra relatus testatur, quod suo tempore Orientalis Ecclesia aut Virgines Clericos accipiebat, aut continentem, vel si uxores habuissent, mariti (quoad vitam conjugalem) esse desistebant. Sed quidquid sit de hoc, certum est, tempore sextae Synodi, inceptae sub Agatone, & absolute sub Leone II. anno 683. in Ecclesia Graeca licitum fuisse conjugalem usum illis qui ante sacram ordinationem uxores duxissent, ut constat ex canone 13. in quo sic dicitur: *Quoniam Romana Ecclesia pro canone traditum esse cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum vel Presbyteratum, professantur se non amplius suis uxori bus conjugando; nos antiquum consuetudinem Apostolorum perfectissimos ordinis servantes, hominum qui sunt in sacris, legitima conjugia, dinceps quoque forma & stabilita esse volumus; nequaquam eorum cum uxori bus conjugationem dissentientem, vel eas magna, tempore convenienti, consensu in privantes. Quamobrem si qui dignus inventus fuerit, qui Hypodiacus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinatur; si ad talem gradum assumi nequaquam prohibetur, si cum legitima uxore habitet: sed neque ordinationis tempore ab eo possit, ut proxiatur, se a legitima causa uxore consuetudine abstinerentium. Quem morem usque ad haec tempora servavit Graeci, Romana Ecclesia permittente, & non nisi eo tempore quo sacris altaribus sunt accessuri, prohibetur uxori bus uti, Episcopi tamen Graeci cum uxori bus quas ante sacram ordinationem duxerant non cohabitabant, ut patet ex canone 12. eisdem sextae Synodi, immo nunc Graeci ordinari non eligunt in Episcopatum, nisi vel Religionem professum, vel qui perpetuam castitatem servet, & uxorem non habeat, ut auctori a Patribus nostri Ordinis, qui diu in Graecia commorati fuerant, & Ecclesiae Graecae ritus & consuetudines apprime poterant.*

§. IV.

Solvuntur objectiones Haereticorum.

65 Contra tertiam conclusionem, in qua diximus legem coelibatus ab Ecclesia statutam pro sacris ministris, rectissimam esse & sanctissimam, plura obijciunt Haeretici Scripturae testimonia, ut persuadeant talem legem iniquam & perniciosam esse. Apostolus enim (inquit) ait ad Hebraeos 13. *connubium esse honorabile in omnibus, adeoque in Sacerdotibus.* Et 1. ad Timoth. 3. jubet Episcopum esse unius uxoris virum. Et cap. 4. eisdem Epistolae ait, novissimis temporibus aliquos introducaturos doctrinam demoniorum, prohibentem nubere.

66 Sed haec frivola sunt. Paulus enim primo loco hortatur fideles ut connubium suum reddant honorabile in omnibus, id est, omni ex parte, sive ex parte Sacramenti, sive ex parte fidei mutuo date & bene servatae, sive ex parte prolis susceptae & bene educatae, quae sunt tria bona Matrimonii. Unde ibidem addit immediate: *Fornicatore enim & adulteros judicabit Deus.* In secundo non requirit quod quis post sui consecrationem in Episcopum, habeat acta uxorem, sed ut ante suam ordinationem non habuerit nisi usam; ut declarat bigamos non esse ordinandos. Non aliquid fuisse ejus intentum, patet ex eo quod cap. 5. eisdem Epistolae velit viduam in Diaconissam eligi unius viri uxorem: implicat autem quod vidua actu habeat virum. In tertio loquitur de Haereticis damnantibus nuptias ut per se malas & illicitas simpliciter, cuiusmodi fuerunt Manichaeus, Marcion, & Tatianus. Nec obest quod Paulus ait, *Novissimis temporibus nam tempus Ecclesiae Christianae dicitur f. f. seculorum, & novissima hora 1. ad Corinth. 10. & 1. Joan. 2.*

67 Obijciunt secundo: Apostoli habuerunt uxores, esse fecum duxerunt; unde dicebat Paulus 1. ad Corinth. 9. *Namquid non habemus potestatem servorem mulierem circumducendi, sicut ceteri Apostoli, & Fratres Domini, & Cephas?* Ergo similiter Clerici uxores habere debent.

68 Huic objectioni respondeo in primis, ex Apostolis de solo Petro constare quod uxorem habuerit. Deinde ipsum & alios, si qui fuerint uxorati, omnino ab uxorum suarum consuetudine abstinaisse, ubi primum Apostoli

sacri sunt, & Christo adjuncti, ut demonstrat D. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, ex illis verbis Petri, suo & aliorum nomine, Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Quod enim inter illa omnia quae dicuntur reliquisse, comprehenduntur conjuges, quoad thorum sive cohabitationem conjugalem, patet ex responsione Christi interpretantis quid sit reliquere omnia: *Omnes qui reliquerint patrem, aut matrem, &c.* Illud vero Pauli: *Namquid non habemus potestatem servorem mulierem circumducendi?* non de uxori bus intelligi debet, sed de piis mulieribus quae Apostolos sequebantur, & eis vel pecunia vel ministerio suo, in rebus necessariis opem ferrebant.

69 Obijciunt tertio: Matrimonium esse juris naturalis, ut declarat insita propensio ad liberorum procreationem; & etiam divini, ut patet ex verbis illis Genes. 1. *Crescite & multiplicamini:* Ergo nulli potest ab Ecclesia prohiberi.

70 Respondeo primo, Matrimonium esse juris naturalis & divini permixtum (quia iure naturali & divino omnibus licet, ac absolute liberum esse conjugium) ac non preceptivum, respectu cuiuslibet particularis, aliquo Christi, R. Virgo, & S. Joannes Baptistae, qui ab usu conjugii abstinerunt, contra jus divinum & naturale peccassent. Unde praecipuum illud Dei Genes. 1. *Crescite & multiplicamini,* non obligat singulos homines, nisi eo tempore quo paucitas hominum exiebat, ut quilibet generationi vacaret: postquam vero terra satis jam hominibus repleta est, superfluum est etiam implendum, quod rectius in statu continentiae, quam in statu conjugali fieri potest ab Ecclesiae Ministris, quia, ut belle ait Ambrosius, & habetur cap. Nuptias 23. qu. 1. *Nuptis terram replent, Virginibus paradisum.* Unde Augustinus c. de bono conjugali, vehementer desiderat, ut omnes vellet continentiam servare, quia (inquit) multo citius Dei civitas adimpletur.

71 Respondeo secundo, Ecclesiam nulli prohibere simpliciter nuptias, nec ulli invito legem continentiae imponere, sed tantum exigere veluti conditionem onerosam ad illis qui sacros Ordines veluti suscipere, ut continentiam profiteantur, propter dignitatem & reverentiam Ordinis & sacri ministerii: illis autem liberum esse suscipere vel non suscipere sacros Ordines, & consequenter nubere, vel continentiam profiteri.

72 Obijciunt quarto: Sacerdotes & Levitae veteris legis uxores ducebant, & ab usu conjugii solum ablinebant, tempore vicis suae, quando sacro ministerio incumbebant: Ergo similiter Sacerdotes & Levitae novi testamenti debent inire connubia, & ab usu uxorum cessare his solum diebus quibus sacris altaribus debent accedere, ut in Ecclesia Graeca observatur.

Respondeo, negando Consequentiam, ut enim sapienter ait Augustinus lib. de bono conjugali cap. 9. circa finem: *» Primum temporibus generis humani, maxime propter Dei populum propagandum, per quem prophetae » retur & nasceretur Princeps & Salvator omnium populorum, uti debuissent sancti isti non propter se » expetendo, sed propter aliud necessarium, bono nuptiarum. Nunc vero cum ad inendum sanctam & sinceram societatem undique ex omnibus gentibus copia spiritalis cognationis exuberet; etiam propter filios solos connubia copulare cupientes, ut ampliore contentiae bono potius utantur admonendi sunt.* Adit Ambrosius commentarius in c. 3. Epistolae 1. ad Timotheum, *» Veteribus iudicio concessum esse Levitis & Sacerdotibus, uxores ad usum habere; quia multum tempus res otio vacabant a ministerio aut Sacerdotio.* E contra vero Sacerdotes & Levitae novae legis perpetuum debent servare continentiam; cum non praeterat dies, qui vel a Sacrificiis divinis, vel a Baptistinis officio, vel ab aliis sacris ministeriis vacant, ut ait Innocentius l. §. praecedenti relatus. Nec obstat consuetudo Graecorum, his solum diebus quibus ad sacra altaria debent accedere, ab usu conjugii abstinentiam, quia Summi Pontifices, & Ecclesia Romana, majoris mali vitandi gratia, hoc eis permittunt.

73 Obijciunt quinto contra ultimam conclusionem: D. Clementis Epistolae ad Jacobum fratrem Domini, in aeralia monita a B. Petro sibi data, hoc recenset, *ut ministri altaribus, ad Dominica tales eligantur officia; qui ante ordinationem conjuges suas noverint.* Et Ildorus lib. a. de officiis cap. a. tradens regulas Clericorum, inter cetera inquit: *Clerici castitatem corporis perpetuam servent, aut unius uxoris vinculo copulentur:* Ergo lex coelibatus, non viget in primitiva Ecclesia, nec ab ipsis Apostolis constituta est.

Ad locum Epistolae Clementis recte respondet Soms lib. 7. de iustitia quaest. 6. art. 2. illa verba, *qui ante ordinationem conjuges suas noverint;* negative accipiendae esse; ut sit sensus, qui non post ordinationem conjuges suos cognoscant, quamvis antea id poterint. Alioquin si ab-

Inte & affirmative verba illa fumentur, sensus esset, non debere nec posse unquam ordinari eos qui ante ordinationem non habuerint & cognoverint uxores: quod esset praecipuum absurdum.

Ad Ildorus dico, illum eo loco de omnibus Clericis loqui in generali: unde quod dicit: *Aus unius uxoris foedere copulentur,* ad Clericos Ordinum Minorum referri debet. Quod autem ait, *castitatem corporis, &c.* ad Clericos Ordinum Majorum, quos perpetuum servare debere continentiam docet lib. 2. cap. 5. §. 8. & 10.

ARTICULUS IV.

An & quo jure bigamus sit Ordinis incapax?

§. I.

Duplici conclusione discutitur.

74 Dico primo, bigamum esse Ordinis incapacem. Ita communiter omnes Theologi & Canonistae, & constat ex Apostolo 1. ad Timoth. 3. & Titum 1. asserente Episcopum (eademque esse ratio de Sacerdote & Diacono, ac Subdiacono) debere esse unius uxoris virum. Quod etiam habetur can. 17. Apostolorum, cujus verba haec sunt: *Si quis post baptismum secundus fuerit nuptis copulatus; aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut profusus ex numero eorum, qui ministerio sacro deserviant.*

75 Ratio est, quia bigamia duplicem habet disconvenientiam cum statu clericali. Prima est, quia Clericus debet ad castitatem verbo & exemplo inducere alios: *quomodo autem potest esse hortator viduitatis, qui ipse conjugia frequentaverit?* ut ait Ambrosius lib. 1. de officiis cap. ultimo. Quam rationem sicut expendit D. Thomas hic quaest. 66. art. 1. his verbis: *in illis qui accipiunt Sacramentum Ordinis maxima spiritualitas debet apparere, tum quia spiritualitas ministerii, scilicet Sacramenta, tum quia spiritualitas docent, & in spiritualibus occupari debent: unde cum concupiscentia maxime spiritualitatis repugnet, per quam totus homo caro efficitur, non debet aliquod spiritum concupiscentiae permanentis in eis apparere: quod quidem apparet in bigamis, qui una uxore contenti esse solentur.* Secunda disconvenientia, quam bigamia habet cum statu Clericali, consistit in eo quod Clericus per sacros Ordines desponsationem Christi cum Ecclesia, quae una est: nequit autem hanc bigamus representare, quia bigamia tollit unitatem unius cum ea, dividendo carnem in plures; defectu ergo hujus arcanae significationis, bigamus est Ordinis incapax; unde bigamia sic definitur ab Innocentio III. cap. Debitum, de bigamis: *Bigamia est irregularitas, subjectum impediens, propter Sacramenti defectum, ad Ordines suscipiendos.*

76 Triplex vero a Theologis & Canonistis solet distingui bigamia: vera, interpretativa, & similitudinaria. Vera est, quae confurgit ex duplici matrimonio legitimo, carnali copula consummato. Interpretativa, quae contrahitur ex Matrimonio cum non virgine; unde talis bigamiam incurrit, qui corruptam duxit, quam virginem putabat; quia cum haec bigamia sit propter defectum sacramentalis significationis, contrahitur etiam ab ignorante. Non incurrit autem, si vir ipse sit corruptus, dummodo uxorem virginem ducat. Cujus dispartitatis hanc assert rationem S. Thomas in 4. dist. 27. q. 3. art. 1. ad 3. quaestionem: *Actus speciem non desinit ex termino a quo, sed ex termino ad quem: cum igitur consensus maritalis viri sit actus tendens non in seipsum, sed in uxorem ut in terminum ad quem, ab ea suam speciem sortitur: proinde si uxor est corrupta, consensus viri ex ea, ut termino ad quem speciem corruptionis contrahit: secus si uxor sit virgo, etiam vir sit corruptus: quia viri consensus speciem non sumit ab ipso viro consentiente, sed ab uxore terminante. Ex quo infert S. Doctor, quod si mulier esset capax Ordinis, irregularitatem contraheret, si cum viro corrupto iniret Matrimonium, non autem si ipsa corrupta cum viro virgine contraheret, nisi per aliud Matrimonium fuisset corrupta.*

77 Haec ratio & doctrina, licet egregia, dupliciter Bellarmino lib. 1. de Clericis cap. 24. quia (inquit) ex ea sequeretur, non fore bigamum qui secundam uxorem virginem duceret, cum in hoc Matrimonio nullum esset ex parte termini ad quem vitium, sed totus defectus esset ex parte viri. Sed haec instantia frivola est: est enim quod ille qui secundam uxorem virginem duceret, non esset bigamus bigamia interpretativa, quae contrahitur cum quis uxorem non virginem ducit: esset tamen bigamus bigamia vera & reali, quae contrahitur ob solum uxorum & Matrimoniorum pluralitatem.

78 Incurrit etiam bigamia interpretativa, quando maritus cognoscit uxorem suam, post adulterium ab illa com-

missum, vel quando quis contrahit duo matrimonia invalida; vel unum validum, & aliud invalidum, & utrumque consummat; licet enim ille vere bigamus non sit, ob invaliditatem unius vel utriusque Matrimonii, inter bigamos tamen computatur, non propter Sacramenti defectum, sed propter intentionis affectum, ut ait Innocentius III. cap. nuper de bigamis, quantum enim in ipso fuit, duas uxores habuit. Dixi, & utrumque consummat; si enim ille feminas quas invalido Matrimonio duxit, carnaliter non cognovit, interpretativam bigamiam non contrahit.

79 Bigamia demum similitudinaria est, quando quis contrahit Matrimonium post sollemnem votum castitatis, aut post Ordines sacros, & consummavit; in hoc enim est aliqua similitudo bigamiae, fundata in duobus Matrimoniis; altero spirituali cum Deo, altero carnali, licet invalido, cum femina contracto, post votum sollemnem castitatis, aut Ordinis sacri susceptionem. Unde illa bigamia non contrahitur nisi ex delicto; immo vera nunquam contrahitur ex delicto, cum semper contrahi debeat ex duplici Matrimonio legitime inito.

Dico secundo, bigamum non esse incapacem Ordinis iure divino, sed tantum jure humano, ab Ecclesia inducto. Ita communiter Theologi & Canonistae, contra glossam in c. 2. de Bigamis, verbo dispensare, & Petrus Soto sect. 18. de Matrimonio paragrapho Ex quibus, & paragrapho Respondeo jam, asserunt bigamum jure divino esse Ordinis incapacem.

Probatur primo conclusio: Summas Pontifex non potest est in jure divino dispensare: At saepe dispensavit cum bigamis, ut promovetur ad Ordines; nam, ut asserit glossa canonis Lector, dist. 34. Martinus I. cum bigamo, ut Subdiaconus fieret, dispensavit; & Lucius Papa illum bigamum, Archiepiscopum Panormitanum creavit: Ergo bigamus non est incapax Ordinis jure divino, sed tantum Ecclesiastico.

Probatur secundo: Si ex aliquo Scripturae testimonio 8a possit deduci bigamus jure divino esse Ordinis incapaces, maxime ex illo Apostoli 1. ad Timoth. 3. *Operet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, &c.* in quo praecipue opposita sententia se fundat: At hic locus solum probat, illud fuisse praecipuum Apostoli; quae autem auctoritate Apostolica constituta sunt, non divini, sed humanae solum juris vim obtinent; ut patet ex Canonibus Apostolorum, qui de jure solum humano & Ecclesiastico obligant; unde Summus Pontifex in illis dispensare potest; ut constat ex can. finali, dist. 82. ubi dicitur quod licet Presbyter fornicarius, poterit cum eo dispensari, debita injustitia penitentia: Ergo bigami non sunt incapaces Ordinis, jure divino, sed tantum humano, ab Ecclesia inducto.

§. II.

Solvuntur objectiones.

80 Contra primam conclusionem nullam est argumentum allicuius ponderis; sed contra secundam obijci primo Petrus a Soto; Coelestinus III. cap. 3. de bigamis, & Martinus I. can. 81. *qui viduam, dist. 5. dicit cum bigamus non esse dispensandum, ob praecipuum Apostoli 1. ad Timoth. 3. dicens Episcopum debere esse unius uxoris virum:* Ergo censent tale praecipuum juris divini obligationem inducere, cum in jure humano possint dispensare Summi Pontifices.

Secundo obijci: Sacris initiatus, divino jure representare debet conjunctionem Christi cum Ecclesia: At bigamus illam representare nequit, cum carnem suam in plures dividerit: Ergo divino jure est incapax Ordinis.

Tertio obijci: Per Baptismum tollantur omnes irregularitates & impedimenta ad Ordines suscipiendos, quae sunt juris humani: Sed per Baptismum non tollitur irregularitas bigamiae in statu infidelitatis contractae, ut dicitur can. Acurius dist. 26. Ergo bigamia jure divino impedit & reddit incapacem ad Ordines suscipiendos.

Verum haec argumenta non adeo urgent, ut propter illa a communi sententia auctoritate ille recedere debeatur. Ad primum enim responderetur, praedictos Pontifices, locis citatis solum significare voluisse, irregularitatem bigamiae fundari in praecipuo Apostoli, fubindeque ob reverentiam illi debitam, non esse in ea passim & sine urgenti causa dispensandum: non negare tamen quod Summi Pontifices in ea dispensare possint, ut patet ex facto ipsius Martini I. qui, ut supra retulimus, cum bigamo, ut Subdiaconus fieret, dispensavit.

Ad secundum nego Majorem: licet enim Christus Matrimonium inter fideles evexerit ad significandam mysticam conjunctionem Christi cum Ecclesia, ut cum unica sponsa, ut constat ex illo ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia;* non

